UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Insomniae, siue Noctes Ivniae Entheae

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1436

LXXXIX. Epitaphivm Barbarae VVeihemaierae, Sebast. Coruini vxoris.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00027821-6

Visual Library

Vita nihil, ſic inquis. at hîc cur CAROLVS
(vſque
Viuens, perire neſcit VTENHOVIVS?
Namq; auus, & pater ille tuus iam mortuus, in te
Perire neuter ſcit ſuperſtes filio.
Viuit hic exemplum virtutis, & artis vterque
Linquens ſuæ te CAROLVM VTEN-
(HOVIVM.

LXXXVII.
Ad Chriſtum.

Seu morior, ſeu viuo, mihi te CHRISTE *lucrarī:*
O liceat: mirum, lucrio quantus ero.

LXXXVIII.
Ad Thomam Heniſium, Coſ. Bolesl.

Quod libet, haud liceat, THOMA, *tibi protinus:*
(hoſtem
Quid juuat vlciſci? ſit potuiſſe ſatis.
Maxima namque viro vindicta ignoſcere forti eſt:
Compenſat lucris qui mala damna bonis.

LXXXIX.
EPITAPHIVM Barbaræ VVeihemaieræ, Sebaſt. Coruini vxoris.

Dulce domus columen, ſolamen dulce laborum:
Atque decus lecti BARBARA dulce ſu
Filia VVeimarij, Coruini Barbara conjux:
Tres natos, natas mater adepta duas:
Morte cadit ſubita, buſto tumulata ſub iſto:
Quem coluit, viuit mens ſuper aſtra Deo.

XC.
Ad Hauboldum Flœttacherum Coſ. Ratiſponenſem.

Aeger inæquales horas, & ſanus habere
Fertur homo. nam dum ridet hic, ille gemit.
Si dolor eſt magnus: toto nox vna, diesue
Longior eſt anno ſæpe, vel hora breuis.
Sed tamen eſt ægro præſentia dulcis amici:
Tædia qui morbi fallere longa poteſt.
Nam ſapiens ægræ medicina oratio menti
Vtilis eſt: & dat gaudia vera mihi.

XCI.
Ad Ioannem VVeidnerum Lendſidelium.

Si vita exilium breue, ſi mihi patria cælum eſt,
Cur optare ſit, hæc ſoluere vincla, nefas?
Quis mutare neget regnum ſeruile paterno?
Aut patriæ quis ſe deneget exul homo?

Cu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN